

cunctos apposuit Aphrodite; nam et unguentis oblitam floribusque redimitam halatu pasci foverique docuerat et melle permulserat et auro et monilibus inhiare membraque vinciri honorationis celsae affectatione persuaserat. tunc crepitacula tinnitusque, quis infanti somnum duceret, 5 adhibebat quiescenti. praeterea ne ullum tempus sine illecebra oblectamentisque decurreret, pruritus subscalpentem circa ima corporis apposuerat voluptatem. sed vehiculum ei ac volatiles rotas, quis mira posset celeritate discurrere, tradiderat ipse Cyllenius, licet eam auri compedibus illigatam Memoria praegravarit. his igitur *Ψυχὴν* opimam superis ditem- 10 que muneribus atque multa caelestium collatione decoratam in conubium Arcas superiorum cassus optabat. sed eam Virtus, ut adhaerebat forte Cyllenio, paene lacrimans nuntiavit impotentia pharetrati volitantisque superi de sua societate correptam captivamque adamantinis nexibus a Cupidine detineri.

15 Super his igitur virginum thalamis dum eum deliberatae sortis blandimenta frustrantur, nec facile quaepiam praeterea, quae congrua paritate Tonantis nurus deligeretur, occurrit, amplius deliberandum suggerit Virtus, neque eum sine Apollinis consilio quicquam debere decernere aut fas ab eius congressibus aberrare, cum zodiaca eum hospitia praemetan- 20 tem numquam abesse menstrua praecursione permetteret. igitur constitutum ubicumque locorum frater esset adiretur. ac tunc volatilem virginam, uti secum mundi penita permeare aetheriosque recessus irrumpere parili celeritate posset, Virtuti de more permittit; ipse pedibus talaria nectit aurea, et nunc in fanis, quibus aut vaticinia obliquis fundebantur 9